



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

Parisiis, 1644

Vita, Epistolae Et Decreta Siricii Papae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15256

SYNODVS SYDÆ HABITA
ADVERSVS MASSALIANOS

S V B D A M A S O .

N O T A .

Synodo
quis præ-
fuit.

^a *Synodus.*] His temporibus aduersus Massalianos Sydæ congregatam esse Synodum, Photius in bibliotheca ait his verbis: *Legimus Synodum Sydæ factam aduersus hæresim Massalianorum, id est, Euchaitarum vel Adelpiorum. Præfuit Synodo Amphiloebus episcopus Iconii, cum episcopis viginti quinque. Ex Synodo ibi est synodica ad Flavianum Antiochenum episcopum, qui ea de causa etiam aliam Synodum habuit. In eo Concilio Sydæ habito, Adelpius licet penitentiam polliceretur, non est admissus, quamuis hæresim detestari videretur: quoniam non ex corde penitentia & renuntiatio facta esset. Vide Baron. anno 383. num. 39.*

VITA, EPISTOLÆ ET DECRETA
SIRICII PAPÆ.*Ex libro pontificali.*Sedit an.
13. ex ratio-
ne temporū
colligunt
alii.

SIRICIUS ^a natione Romanus, ex patre Tiburtio, ^{Ann} ^{Car} ¹³
^b sedit annos quindecim, menses vndecim, dies viginti quinque. Hic constitutum fecit de omni ecclesia, & contra omnes hæreses, & dispersit per vniuersum mundum, ac per omnes prouincias, vt in omni archiuo ecclesiæ conferuaretur, ob oppugnationem contra omnes hæreses. ^c Hic constituit vt nullus presbyter missas celebraret per omnem hebdomadam, nisi consecratum episcopi loci designati fusciperet declaratum, quod nominatur fermentum. ^d Hic inuenit Manichæos, quos in exilio deportauit. Et hoc constituit, vt non participarent cum fidelibus communionem, quia ore polluto non liceret sanctum corpus Dominicum vexare. Hic quoque constituit, vt si quis conuersus de Manichæis rediret ad ecclesiam, nullatenus communicaret, nisi tantum relegationi monasterii diebus vitæ teneretur obnoxius, vt ieiuniis & orationibus maceratus, probatus sub omni examinatione vsque ad vltimum diem transitus sui, humani-

et tate ecclesiæ viaticum * eis largiretur. Hic cōstituit, hæreticos sub manus impositione recipi & reconciliari præsentem cuncta ecclesia. Hic fecit ordinationes quinque in vrbe Roma per mensem Decembrem, presbyteros triginta vnum, diaconos sexdecim, episcopos per diuersa loca numero triginta duo. Qui etiam sepultus est in cœmeterio Priscillæ via Salaria, octauo Kalendas Martii. Et cessauit episcopatus dies viginti.

NOTÆ.

^a *Siricius.*] Post interregnum viginti dierum & vnus, anno Christi 387. pridie Idus Ianuarii, Siricius non sine tumultu Vrsicini schismatici, in locum Damasi successit. Præfedit ecclesiæ sub Valentiniano secundo, Theodosio seniore, Arcadio & Honorio imperatoribus. Circa initium pontificatus Siricii, Augusta illa Iezabel Iustina Ambrosium persequitur. Antiocheni statuas Theodosii deiciunt; poenam idcirco incarcerationibus & priuilegiorum spoliationibus inflictam, Chrysofomus & Flavianus deprecantur.

Sancta Monica Augustini mater religiosissima ad beatam vitam euocatur, vnus tantum sollicita, vt pro se salutare sacrificium offeratur. *Tantum*, inquit, *illud vos rogo, vt ad altare Domini memineritis mei vbi fueritis.* Dissensiones inter Epiphanium Constantiæ Cypri, & Ioannem Hierosolymorum episcopum, occasione hæresum Origenis, quas ille cum Rufino aliisque compluribus defendendas infeliciter susceperat, exortæ sunt. Quæ hæreses huius temporibus prodierint, quæve Concilia habita fuerint, ex notis Conciliorum & epistolarum constabit.

^b *Sedit annos quindecim.*] Annis tredecim, mense vno, diebus quatuordecim. Nam octauo Kalend. Martii anno 398. ex hac vita migravit. Hucusque si ab initio sedis tempora pontificatus Siricii computentur, assignatus numerus annorum, mensium & dierum, inuenietur. Quod periclitanti ecclesiæ occasione Origenistarum, quos Marcella Romæ detexerat, vt infra in notis Concilii Alexandrini sub Anastasio celebrati dicemus, non satis velociter occurrit, citissime ex hac vita sublatus est.

^c *Hic constituit vt nullus presbyter missas celebret per hebdomadam, nisi consecratum episcopi loci susceperit fermentum.*] Quid sit fermentum, quis illius vsus, diximus supra in notis ad vitam Melch. verbo *Hic fecit.* Item Canone 14. 32. & 49. Concil. Laod. Quibus ea quæ hic subscribuntur, mirifice declarantur.

^d *Hic inuenit Manichæos, quos deportauerat.*] Hæc aduersus Manichæos pontifex constituit, ideo quod a catholicis difficulter discerni possent. Secreta enim dumtaxat conuenticula habuerunt, seque periuriis & mendaciis interpositis, catholicos esse affirmarunt. De mendaciis, hæresi ac periurio conuicti, poenitentiam simulate

Initium pontificatus Siricii quædo & quomodo ceperit.

Antiocheni statuas Theodosii deiciunt.

S. Monica in obitu, pro se sacrificium offerri petit, vt scribit S. August. in lib. 9. confess. cap. 11. 12. 13.

Siricius quædiu clausus ecclesiæ tenuerit.

Manichæorum simulario.

Theodosius Manichæos ab orbe relegari iubet. Manichæi solem ac lunam pro numine colunt.

agentes, suamque hæresim exteriori actu detestati, interius Manichæi esse perseverarunt: ne detegerentur, catholicorum ecclesiam frequentantes, cum iisdem sacram eucharistiam participarunt. Iure igitur meritoque deprehensi, exilio mulctati, vel si pœnitentiam agerent, ad participandam sacram eucharistiam in fine vitæ dumtaxat admissi fuerunt. Ad instantiam Siricii pontificis, illud Theodosii imperatoris rescriptum lib. 18. de hæret. Cod. Theod. extans, promulgatum fuisse probabile est; quo prædictæ hæreseos sectarii, non ab vrbe tatum, verum etiam ab vniuerso orbe relegari mandantur. Cum in honorem solis ac lunæ die dominico & feria secunda ieiunarent, solemque velut numen colentes, ad orientem conuersi superstitiose adorarent, idemque etiam pie ac sancte catholici facerent, atque adeo nullo indicio a Manichæis catholici & orthodoxi discerni possent, sanctus Leo I. hunc orandi ritum ad tempus suspendit, ne quid fideli populo cum hæreticis commune esset, sed potius hoc indicio apertissime discernerentur. Baron. anno 445. num. 4. & 5.

• EPISTOLA I.
SIRICII PAPÆ
AD HIMERIVM TARRACONSEM.

- | | |
|---|---|
| I. De Arianis non rebaptizandis. | X. De his, qui grandavi ad sacram militiam conuertuntur. |
| II. Ut præterquam in Pascha & Pentecoste, nisi in necessitate & periculo, baptismum non celebretur. | XI. De clericis, qui ad secundas nuptias transeunt, vt deponantur. |
| III. De apostatis ab ecclesia separandis. | XII. Quæ femina cum clericis debeant habitare. |
| IV. Quod non liceat, alterius sponsam alteri in matrimonii iura accipere. | XIII. De monachorum promotione ad clerum. |
| V. De his qui post pœnitentiam vel militia cingulum, vel noua coniugia, vel illicitos appetierunt concubitus. | XIV. Quod pœnitens non fiat clericus. Vel sic: De clericis, vt pœnitentiam per impositionem manus sacerdotis non accipiant. |
| VI. De monachis & sacris virginibus, propositum non seruantibus. | XV. De pœnitentibus, vel digamis, vel viduarum maritis, vt non permittantur ad ordinem clericatus admitti. Vel sic: Vt si per ignorantiam, vel pœnitens, vel digamus, vel vidua maritus, clerici facti fuerint, non promoveantur. |
| VII. De sacerdotum vel Levitarum incontinentia. | |
| VIII. De admittendis ad clerum. | |
| IX. De clericorum conuersatione. | |

Siricus

Siricius Himerio Tarraconensi episcopo salutem.

DIRECTA ad decessorem nostrum sanctæ recordationis Damasum fraternitatis tuæ relatio, me iam in sede ipsius constitutum (quia sic Dominus ordinavit) inuenit: quam cum in conuentu fratrum sollicitius legeremus, tanta inuenimus, quæ reprehensione & correctione sunt digna, quanta optaremus laudanda cognoscere. Et quia necesse erat, nos in eius laboribus curisque succedere, cui per Dei gratiam successimus in honore, factò, ut oportebat, primitus meæ prouectionis indicio, ad singula (prout Dominus aspirare dignatus est) consultationi tuæ responsum competens non negamus: quia pro officii nostri consideratione non est nobis dissimulare, non est tacere libertas, quibus maior cunctis Christianæ religionis zelus incumbit. Portamus onera omnium qui grauantur: quinimo hæc portat in nobis beatus apostolus Petrus, qui nos in omnibus, ut confidimus, administrationis suæ protegit & tuetur heredes.

I.

Prima itaque paginae tuæ fronte signasti, baptizatos ab impiis Arianis, plurimos ad fidem catholicam festinare, & quosdam de fratribus nostris, eosdem denuo baptizare uelle, quod non licet: cum hoc fieri & Apostolus Ephes. 4. uetet, & Canones contradicant, & post cassatum Arminense Concilium, missa ad prouincias a venerandæ memoriæ prædecessore meo Liberio generalia decreta prohibeant, quos nos cum Nouatianis, aliisque hæreticis, sicut est in Synodo constitutum, per inuocationem solam septiformis spiritus, episcopalis manus impositione, catholicorum conuentui sociamus. Quod etiam totus oriens occidentisque custodit: a quo tramite vos quoque posthac minime conuenit deuiare, si non uultis a nostro collegio synodali separari sententia.

II.

Sequitur de diuersis baptizandorum temporibus, prout unicuique libitum fuerit, improbabilis & emendanda confusio, quæ a nostris confacerdotibus (quod commoti dicimus) non ratione auctoritatis alicuius, sed De consecr. distinct. 4. Non ratione aucto.

Concil. Tom. 3.

H h h

Christi, seu apparitionis, nec non & apostolorum seu
martyrum festiuitatibus innumera (vt asseris) plebes ba-
ptismi mysterium consequantur, cum hoc sibi priuilegium
& apud nos, & apud omnes ecclesias, Dominicum specia-
liter cum Pentecoste sua Pascha defendat, quibus solis per
annum diebus, ad fidem confluentibus generalia bap-
tismatis tradi conuenit sacramenta, his dumtaxat * electis,
qui ante quadraginta vel eo amplius dies nomen dede-
rint, & exorcismis, quotidianisque orationibus atque ie-
iuniis fuerint expiati, quatenus apostolica illa impleatur
1. Corint. 5. præceptio, vt *expurgato fermento ueteri, noua incipiat esse con-
spersio*. Sicut sacram ergo paschalem reuerentiam in nullo
dicimus esse minuendam, ita infantibus, qui necdum lo-
qui poterunt per ætatem, vel his, quibus in qualibet ne-
cessitate opus fuerit sacri vnda baptismatis, omni volumus
celeritate succurri, ne ad nostrarum perniciem tendat a-
nimarum, si, negato desiderantibus fonte salutari, exiens
vnusquisque de sæculo, & regnum perdat & vitam. Qui-
cumque etiam discrimen naufragii, hostilitatis incursum,
obsidionis ambiguum, vel cuiuslibet corporalis ægritudi-
nis desperationem inciderint, & sibi vnico credulitatis au-
xilio poposcerint subueniri, eodem, quo poscunt, mo-
mento temporis, expetitæ regenerationis præmia conse-
quantur. Hactenus erratum in hac parte sufficiat: nunc
præfatam regulam omnes teneant sacerdotes, qui nolunt
Matth. 16. ab apostolicæ petre, super quam Christus vniuersalem
construxit ecclesiam, soliditate diuelli.

III.

Adiectum est etiam, quosdam Christianos ad apostasi-
am, (quod dici nefas est) transeuntes, & idolorum
cultu ac sacrificiorum contaminatione profanatos; quos
a Christi corpore & sanguine, quo dudum redempti
fuerant renascendo, iubemus abscindi. Et si respicen-
tes forte aliquando fuerint ad lamenta conuersi, his
quamdiu viuunt, agenda pœnitentia est, & in vltimo fi-
ne suo reconciliationis gratia tribuenda: quia (docente
Ezech. 18. Domino) *nolumus mortem peccatoris, sed vt conuertatur &
vuiat.*

IV.

27. qu. 2.
De coniu-

De coniugali autem violatione requisisti, si desponsatam

alii puellam alter in matrimonium possit accipere. Hoc ne fiat omnibus modis inhibemus : quia illa benedictio, quam nupturæ sacerdos imponit, apud fideles cuiusdam sacrilegii instar est, si vlla transgressione violetur.

V.

De his vero non incongrue dilectio tua apostolicam sedem credidit consulendam, qui acta pœnitentia, tamquam canes ac sues ad vomitus pristinos & ad volutabra redeuntes, & militiæ cingulum, & ludicras voluptates, & noua coniugia, & inhibitos denuo appetiuere concubitus. Quorum professam incontinentiam, generati post absolutionem filii prodiderunt. De quibus, quia iam suffugium non habent pœnitendi, id diximus decernendum, vt sola intra ecclesiam fidelibus oratione iungantur, sacræ mysteriorum celebritati, quamuis non mereantur, intersint: a dominicæ autem mensæ conuiuio segregentur, vt hac saltem districtione correpti, & ipsi in se sua errata castigent, & aliis exemplum tribuant, quatenus ab obscœnis cupiditatibus retrahantur. Quas tamen (quoniam carnali fragilitate ceciderunt) viatico munere, cum ad Dominum cœperint proficisci, per communionis gratiam volumus subleuari. Quam formam & circa mulieres, quæ se post pœnitentiã talibus pollutionibus deuinxerunt, seruandam esse censemus.

VI.

Præterea monachorum quosdam atque monacharum, abiecto proposito sanctitatis, in tantam protestaris demersos esse lasciuiam, vt prius clanculo, velut sub monasteriorum prætextu, illicita ac sacrilega se contagione miscuerint: postea vero in abruptum conscientiæ desperatione perducti, de illicitis complexibus libere filios procrearint, quod & publicæ leges & ecclesiastica iura condemnant. Has ergo impudicas detestabilesque personas a monasteriorum cœtu, ecclesiarumque conuentibus eliminandas esse mandamus: quatenus retrusæ in suis ergastulis, tantum facinus continua lamentatione descentes, purificatorio possint pœnitudinis igne decoquere, vt eis vel ad mortem saltem solius misericordiæ intuitu, per communionis gratiam, possit indulgentia subuenire.

Hhh ij

Veniamus nunc ad sacratissimos ordines clericorum, quos in venerandæ religionis iniuriam, ita per vestras prouincias calcatos atque confusos, caritate tua insinuante, reperimus, vt Ieremiæ nobis dicendum sit voce:

Ier. 9. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & flebo populum hunc die ac nocte? Si ergo beatus propheta ad lugenda populi peccata non sibi ait lacrymas posse sufficere: quanto nos possumus dolore percelli, cum eorum, qui in nostro sunt corpore, compellimur facinora deplorare? Præcipue quibus secundum beatum*

2. Corint. 11. *Paulum, instantia quotidiana, & sollicitudo omnium ecclesiarum indefinenter incumbit. Quis enim infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror?* Plurimos enim

82. distinct. Plurimos facer.

sacerdotes Christi atque Leuitas, post longa consecrationis suæ tempora, tam de coniugibus propriis, quam etiam de turpi coitu sobolem didicimus procreasse, & crimen suum hac præscriptione defendere, quia in veteri testamento sacerdotibus ac ministris generandi facultas legitur attributa. Dicat mihi nunc, quisquis ille est sectator libidinum, præceptorque vitiorum, si æstimat, quod in lege Mosis passim sacris ordinibus a Domino laxata sunt frenæ luxuriæ, cur eos, quibus committebantur sancta sanctorum, præmonet, dicens: *Sancti estote, quia & ego sanctus sum Dominus Deus vester.* Cur etiam procul a suis domibus, anno vicis suæ, in templo habitare iussi sunt sacerdotes?

L. 20.

Luc. 1.

Hac videlicet ratione, ne vel cum vxoribus possent carnale exercere commercium, vt conscientia integritate fulgentes, acceptabile Deo munus offerrent. Quibus etiam, expleto deseruitionis suæ tempore, vxorius vsus solius successione causa fuerat relaxatus, quia non ex alia, nisi ex tribu Leui, quisquam ad Dei ministerium fuerat præceptus admitti. Vnde & Dominus Iesus, cum nos suo illustrasset aduentu, in euangelio protestatur, *quia legem*

Matth. 5.

Cantic. 4.

venerit implere, non soluere. Et ideo ecclesiam, cuius sponsus est speciosus forma, castitatis voluit splendore radiare, vt in die iudicii, cum rursus aduenerit, sine macula & ruga eam possit, sicut per Apostolum suum instituit, reperire.

Ephes. 5.

Quarum sanctionum sacerdotes omnes atque Leuitæ insolubili lege constringimur, vt a die ordinationis nostræ,

sobrietati ac pudicitia & corda nostra mancipemus & corpora, dummodo per omnia Deo nostro in his, quæ quotidie offerimus, sacrificiis placeamus. *Qui autem in carne sunt*, dicente electionis vase, *Deo placere non possunt. Vos autem iam non estis in carne, sed in spiritu, si tamen spiritus Dei habitet in vobis.* Et ubi poterit, nisi in corporibus (sicut legimus) sanctis, Dei spiritus habitare? Et quia aliquanti, de quibus loquimur, ut tua sanctitas retulit, ignoratione lapsos esse se desent, his hac conditione misericordiam dicimus non negandam, ut sine vlllo honoris augmento, in hoc, quo detecti sunt, quam diu vixerint, officio perseuerent, si tamen post hæc continentem se studuerint exhibere. Hi vero, qui illiciti priuilegii excusatione nituntur, ut sibi asferant veteri hoc lege concessum, nouerint se ab omni ecclesiastico honore, quo indigne vsi sunt, apostolicæ sedis auctoritate deiectos, nec vnquam posse veneranda attrectare mysteria, quibus se ipsi, dum obscœnis cupiditatibus inhiant, priuauerunt. Et quia exempla præsentia cauere nos præmonent in futurum, si quilibet episcopus, presbyter atque diaconus (quod non optamus) deinceps fuerit talis inuentus, iam nunc sibi omnem per nos indulgentiæ aditum intelligat obseratum: quia ferro necesse est excidantur vulnera, quæ fomentorum non senserint medicinam.

1. Cor. 3.
Ibidem 6.
2. Cor. 6.
Sap. 1.

82. Diff. aliquanti de.

Leuit. 21.

VIII.

Didicimus etiam, licenter ac libere inexplorata vitæ homines, quibus etiam fuerint numerosa coniugia, ad præfatas dignitates, prout cuique libuerit, aspirare. Quod non tantum illis, qui hæc immoderata ambitione peruertunt, quantum metropolitanis specialiter pontificibus imputamus, qui dum inhibitis ausibus conuiuent, Dei nostri, quantum in se est, præcepta contemnunt. Et ut taceamus, quod altius suspicamur, ubi illud est, quod Deus noster, data per Mosen lege, constituit dicens: *Sacerdotes mei semel nubant?* Et alio loco: *Sacerdos uxorem virginem accipiat, non viduam, non repudiatam, non meretricem.* Quod secutus Apostolus, ex persecutore prædicator, *vnus uxoris virum*, tam sacerdotem, quam diaconum, fieri debere mandauit. Quæ omnia ita a vestrarum regionum despicuntur episcopis, quasi in contrarium magis fuerint con-

Leuit. 21.
Ezech. 44.

1. Tim. 3.

stituta. Et quia non est nobis de huiusmodi vsurpationibus negligendum, ne nos indignantis Domini vox iusta corripiat, qua dicit: *Videbas furem, & currebas cum eo, & ponebas tuam cum adulteris portionem*: quid ab vniuersis posthac ecclesiis sequendum sit, quid vitandum, generali pronuntiatione decernimus.

IX.

Dist. 77.
Quicumque
itaque sc.

Quicumque itaque se ecclesiæ vouit obsequiis a sua infantia, ante pubertatis annos baptizari, & lectorum debet ministerio sociari. Qui ab accessu adolescentiæ vsque ad *tricesimum ætatis annum, si probabiliter vixerit, vna tantum, & ea, quam virginem communi per sacerdotem benedictione perceperit, vxore contentus, acolythus & subdiaconus esse debet: post quæ ad diaconii gradum, si se ipse primitus, continentia præeunte, dignum probarit, accedat. Vbi, si vltra quinque annos laudabiliter ministrarit, congrue presbyteriũ consequatur. Exinde, post decennium, episcopalem cathedrã poterit adipisci, si tamen per hæc tempora integritas vitæ ac fidei eius fuerit approbata.

X.

Qui vero iam atate grandæuus, melioris propositi conuersatione prouocatus, ex laico ad sacram militiam peruenire festinat, desiderii sui fructum non aliter obtinebit, nisi eo, quo baptizatur, tempore, statim lectorum aut exorcistarum numero societur; si tamen eum vnam habuisse, vel habere, & hanc virginem accepisse constet vxorem. Qui dum initiatus fuerit, expleto biennio, per quinquennium aliud acolythus & subdiaconus fiat, & sic ad diaconatum (si per hæc tempora dignus iudicatus fuerit) prouehatur. Exinde iam accessu temporum, presbyterium vel episcopatum, si eum cleri ac plebis euocarit electio, non immerito sortietur.

XI.

Dist. 84.
Quisquis
cle.

Quisquis sane clericus aut viduam, aut certe secundam coniugem duxerit, omni ecclesiasticæ dignitatis priuilegio mox nudetur, laica sibi tantum communione concessa. Quam ita demum poterit possidere, si nihil postea, propter quod hanc perdat, admittat.

XII.

Dist. 81.
Feminas.

Feminas vero non alias esse patimur in domibus cleri-

corum, nisi eas tantum, quas propter solas necessitudinum causas habitare cum iisdem Synodus Nicæna permisit.

XIII.

Monachos quoque, quostamen morum grauitas, & vitæ ac fidei institutio sancta commendat, clericorum officii aggregari & optamus & volumus, ita vt qui intra tricesimum ætatis annum sunt digni, in minoribus per gradus singulos, crescente tempore, promoueantur ordinibus: & sic ad diaconatus vel presbyterii insignia, maturæ ætatis consecratione perueniant. Nec statim saltu ad episcopatus culmen ascendant, nisi in his eadem, quæ singulis dignitatibus superius præfiximus, tempora fuerint custodita.

Can. 4. Nicæan. Syn. 16. q. Monachos quoque.

XIV.

Illud quoque nos par fuit prouidere, vt sicut pœnitentiam agere cuiquam non conceditur clericorum, ita & post pœnitentiam ac reconciliationem, nulli vnquam laico liceat honorem clericatus adipisci: quia quamuis sint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendorum sacramentorum instrumenta suscipere, qui dudum fuerint vasa vitiorum.

Dist. 50. Illud.

XV.

Et quia in his omnibus, quæ in reprehensionem veniunt, sola excusatio ignorationis obtenditur, cui nos interim, solius pietatis intuitu, necesse est clementer ignoscere: quicumque pœnitens, quicumque digamus, quicumque viduæ maritus, ad sacram militiam indebite & incompetenter irrepsit, hac sibi conditione a nobis veniam intelligat relaxatam, vt in magno debeat computare beneficio, si adempta sibi omni spe promotionis, in hoc quo inuenietur ordine, perpetua stabilitate permaneat: scituri posthac omnium prouinciarum summi antistites, quod si vltra ad sacros ordines quemquam de talibus crediderint assumendum, & de suo, & de eorum statu, quos contra Canones & interdicta nostra prouexerint, congruam ab apostolica sede promendam esse sententiam.

Dist. 50. Quicumque pœnit.

Explicuimus, vt arbitror, frater carissime, vniuersa, quæ digesta sunt in querelam: & ad singulas causas, de quibus per filium nostrum Bassianum presbyterum, ad

Romanam ecclesiam, utpote ad caput tui corporis, retulisti, sufficientia, quantum opinor, responsa reddidimus: Nunc fraternitatis tuæ animum ad seruandos Canones, & tenenda decretalia constituta, magis ac magis incitamus, ut hæc quæ ad tua consulta rescriptimus, in omnium coepiscoporum nostrorum perferri facias notionem: & non solum * eorum, qui in tua sunt diocesi constituti: sed etiam ad vniuersos Carthaginenses ac Baticos, Lusitanos atque Gallicos, vel eos, qui vicinis tibi collimitant hinc inde prouinciis, hæc quæ a nobis sunt salubri ordinatione disposita, sub literarum tuarum prosecutione mittantur. Et quamquam statuta sedis apostolicæ, vel Canonum venerabilia definita, nulli sacerdotum Domini ignorare sit liberum: vtilius tamen atque pro antiquitate sacerdotii tui, dilectioni tuæ esse admodum poterit gloriosum, si ea, quæ ad te speciali nomine generaliter scripta sunt, per vniuersitatis tuæ sollicitudinem, in vniuersorum fratrum nostrorum notitiam perferantur, quatenus & quæ a nobis non inconsulte, sed prouide sub nimia cautela & deliberatione sunt salubriter constituta, intemerata permaneant, & omnibus in posterum excusationibus aditus, qui iam nulli apud nos patere poterit, obstruatur. Data 3. Idus Februar. Arcadio & Bautone viris clarissimis consulis.

NOTÆ.

Occasio epistolæ scribendæ.

* *Epistola.*] Himerius Tarraconensis episcopus, de nonnullis rebus dubiis Damasum per literas consuluerat, quo defuncto successor illius Siricius ad singula interrogata accurate & scite respondit: quæ quidem non in prouincia Tarraconensi tantum obseruari voluit, sed etiam in Carthaginensi Bætica, Lusitania atque Gallecia custodiri mandauit.

An Siricius matrimonium pollutionem appellat.

¶ Talibus pollutionibus deuinxerunt.] Caluinus reprehendit Siricius pontificem, quasi hoc loco coniugium pollutionem vocauerit. Sed more suo, & hæreticorum omnium valde impudenter & calumniose. Non enim coniugium verum & legitimum pollutionem appellat, sed illicitam coniunctionem eorum, qui post peractam publicam pœnitentiam, ad eandem illicitam coniunctionem iterum reuertuntur, propter quam pœnitentiam egerant. Nemo autem propter legitime contractum matrimonium pœnitentiam egit. Vide Bellarm. de Rom. pont. lib. 4. cap. 10.

• EPI-

• EPISTOLA II.
SIRICII PAPÆ.

Aduersus Iouinianum hæreticum, eiusque socios,
ab ecclesiâ vnitatem remouendos.

Siricius Mediolanensi ecclesiæ.

OPTAREM semper, fratres carissimi, dilectionis & pacis vestræ * sinceritatis gaudia nuntiari, ita vt vicissim discurrentibus literis, sospitatis vestræ iuuemur indicio: quia non patitur quietos nos ab incurfatione sua vacare hostis antiquus, ab initio mendax, inimicus veritatis, & mul-
Joan. 8.
 lus hominis, quem vt deciperet, se ante decepit; pudicitia aduersarius, luxuriæ magister: crudelitibus pascitur, abstinentia puniendus; odit ieiunia, ministris suis prædicantibus dum dicit esse superflua, spem non habens de futuris, Apostoli sententia repercussus, dicentis: *Manducemus & bibamus, cras enim moriemur.*
1. Cor. 15.
 O infelix audacia, o desperata mentis astutia! Tam incognitus sermo hæreticorum intra ecclesias cancri more serpebat, vt occupâs peccus, totum hominem præcipitaret in mortem. Et nisi Dominus Sabaoth laqueum, quem parauerat, dirupisset, scena tanti mali & hypocrisis publicata, multorum simplicium corda traxisset in ruinam: quia facile ad deteriorem partem mens humana traducitur, volens magis per spatiosa volitare, quam arctæ viæ iter cum labore transire. Qua de re necessarium satis
Matt. 7.
Luc. 13.
 fuit, dilectissimi mihi, quæ gesta sunt hic, ad vestram conscientiam cognoscenda mandare, ne ignorâtia cuiuspiam sacerdotis, pessimorum hominum ecclesiam irrumpentium sub religioso nomine contagio violaret, sicut scriptum est, dicente Domino: *Multi venient ad vos in vestimentis ouium, in-*
Matt. 7.
tus autem sunt lupi rapaces. Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Hi sunt videlicet, qui subtiliter Christianos sese iactant, vt sub velamento pii nominis gradientes, domum orationis ingressi, sermonem serpentinae disputationis effundant, vt
Psal. 10.
sagittent in obscuro rectos corde, atque veritatem catholicam vertendo, ad suæ doctrinae rabiem diabolico more traducant, atque ouium simplicitatem defraudent. Et quidem multarum hæresum malignitatem ab apostolis nunc vsque didicimus, & experti probauimus; sed nunquam tales canes ecclesiæ mysterium latratibus fatigarunt, quales
2. Tim. 4.

Concil. Tom. 3.

lii

nunc subito hostes fidei erumpentes, doctrina perfidia polluta, cuius sint discipuli, verborum fructibus prodiderunt. Nam cum alii hæretici singula sibi genera quæstionû, male intelligendo, proposuerint conuellere atque cõcerpere de diuinis institutionibus, isti non habentes vestẽ nuptialem, sauciantes catholicos, noui ac veteris testamenti (vt dixi) continentiam peruertentes, ac spiritu diabolico interpretantes, illecebrosõ atque ficto sermone aliquot Christianos cõeperunt iam vastare, atque suæ dementiæ fociare, intra se continentes nequitia suæ virus. Verum illecti, blasphemias suas conscriptione temeraria publice prodiderunt, & desperatæ mentis furore conciti, passim in fauorem gentilium publicarunt. Sed a fidelissimis Christianis, viris genere optimis, religione præclaris, ad meam humilitatem subito scriptura horrida videtur esse delata, vt sacerdotali iudicio detecta, diuinæ legi contraria, spiritali sententia deleretur. Nos sane nuptias non aspernantes accipimus, quibus velamine interfumus: sed virgines, quas nuptiæ creant, Deo deuotas, maiore honorificentia veneramus. Facto ergo presbyterio, constitit doctrinæ nostræ, id est, Christianæ legi esse contraria. Vnde apostolicum secuti præceptum, *quia aliter, quam quod accepimus, annuntiabant*, omnium nostrum tam presbyterorû & diaconorum, quam etiam totius cleri vnâ fuscitata fuit sententia, vt Iouinianus, Auxentius, Genialis, Germinator, Felix, Plotinus, Martianus, Ianuarius, & Ingeniosus, qui incentores nouæ hæresis & blasphemie inuenti sunt, diuina sententia & nostro iudicio in perpetuum damnati, extra ecclesiam remanerent. Quod custodituram sanctitatem vestrã non ambigēs, hæc scripta direxi per fratres & compresbyteros meos, Crescentem, Leopardum & Alexandrum, qui religiosum officium fidei possint spiritu adimplere feruentes.

NOTA.

* *Epistola II.*] Iouinianus Mediolano expulsus, anno sexto pontificatus Siricii Romam venerat, ibique non tantum sermone, verum etiam scriptis a se commentariis plurimos catholicos hæresi sua infecerat. Quod cum Pammachius senatorii ordinis vir eximius intellexisset, ad pontificem eum detulit. Pontifex vero coactõ presbyterio hæresiarcham condẽnauit, deque eius condemnatione Mediolanensem ecclesiam per hæc literas a tribus legatis presbyteris isthuc transmissas certiore reddidit. Vide notas seq. ep. & Conc. Mediol.

Decreto ecclesie Romanæ Iouiniani hæresis sacrarum virginum nuptias inducens, datur.
Gal. 1.

RESCRIPTVM
 EPISCOPORVM, AMBROSII, &c.
 AD SIRICIVM PAPAM.

Siricii pontificis sollicitudinem in hæreticis damnandis
 laudant, ac Iouiniani errores rationibus
 & testimoniis refellunt.

*Domino dilectissimo fratri Siricio papæ Ambrosius,
 Sabinus, Bassianus & ceteri.*

RECOGNOVIMVS literis sanctitatis tuæ boni pasto-
 ris excubias, ^b qui diligenter commissam tibi ianuam
 ferues, & pia sollicitudine Christi ouile custodias, dignus
 quem oues Domini audiant & sequantur. Et ideo, quia
 nostri ouiculas Christi, lupos facile deprehendis, & occurris
 quasi prouidus pastor, ne isti morsibus perfidiæ suæ, ferali-
 que vlulatu Dominicum ouile dispergant. Laudamus hoc,
 domine frater nobis dilectissime, & toto concelebramus
 affectu. Nec miramur, si luporū rabiem grex Domini per-
 horruit, in quibus Christi vocem non recognouit. Agrestis
 enim vlulatus est, nullam virginitatis gratiam, nullum ca-
 stitatis ordinē seruare, promiscue omnia uelle confundere,
 diuersorum gradus abrogare meritorum, & paupertatem
 quamdam caelestium remunerationum inducere, quasi
 Christo vna sit palma quā tribuit, ac non plurimi abundant
 tituli præmiorum. Simulant se ista donare coniugio. Sed
 quæ potest laus esse coniugii, si nulla virginitatis est gloria?
 Neque vero nos negamus sanctificatum a Christo esse con-
 iugium, diuina voce dicente: *Erunt ambo in vna carne & in v-* Gen. 1.
no spiritu. Sed prius est, quod nati sumus, quam quod effecti:
 multoque præstantius diuini operis mysterium, quam hu-
 manæ fragilitatis remedium. Iure laudatur bona vxor, sed
 melius pia virgo præfertur, dicente Apostolo: *Qui iungit vir-* 1. Cor. 7.
ginem suam, bene facit: & qui non iungit, melius facit. Ibid. Hæc enim co-
 gitat quæ Dei sunt: illa, quæ mundi. Illa coniugalibus vinculis
 colligata est, hæc libera vinculorum. Illa sub lege, ista sub
 gratia. Bonum coniugium, per quod est inuenta posteritas
 successionis humanæ: sed melior virginitas, per quam
 regni caelestis hereditas acquisita, & caelestium merito-

Concil. Tom. 3.

Iii ij

rum reperta successio. Per mulierem culpa successit, per virginem salus euenit. Denique speciale sibi donum virgin-
 itatis Christus elegit, & integritatis munus exhibuit, at-
 que in se representauit, quod elegit in matre. Quanta a-
 mentia funestorum latratuum, vt iidem dicerent, Chri-
 stum ex virgine non potuisse generari, qui asserunt ex mu-
 liere, editis humanorum pignorū partibus, virgines per-
 manere? Aliis ergo præstat Christus, quod sibi (vt dicunt)
 præstare non potuit? Ille vero qui sic carnem suscepit, etsi
 homo factus, vt hominem redimeret, atque a morte reuo-
 caret; inusitato tamen quasi Deus itinere venit in terras,
 vt quemadmodum dixerat, *Ece facio omnia noua*, partu
 etiam immaculato virginis nasceretur, & (sicut scriptum
 est) crederetur nobiscum Deus. Sed de via peruersitatis
 produntur dicere, Virgo concepit, sed non virgo genera-
 uit. Quæ potuit ergo virgo concipere, potuit virgo gene-
 rare, cum semper conceptus præcedat, partus sequatur.
 Sed si doctrinis non creditur sacerdotum, credatur oracu-
 lis Christi, credatur monitis angelorum dicentium: *Quia
 non est impossibile Deo omne verbum*: credatur symbolo aposto-
 lorum, quod ecclesia Romana intemeratū semper custo-
 dit & seruat. Audiuit Maria vocem angeli, & quæ dixerat
 ante: *Quomodo erit istud?* non de fide generationis inter-
 rogans, respondit postea: *Ece ancilla Domini, contingat mihi se-
 cundum verbum tuum*. Hæc est virgo, quæ in vtero concepit,
 virgo quæ peperit filium. Sic enim scriptum est: *Ece virgo in
 vtero accipiet, & pariet filium*. Non enim concepturam tan-
 tummodo virginem, sed & parituram virginem dixit.
 Quæ autē est illa porta sanctuarii, *porta illa exterior ad orien-
 tem, quæ manet clausa, & nemo* (inquit) *pertransibit per eam,
 nisi solus Deus Israel?* Nonne hæc porta Maria est, per quam
 in hunc mundum redemptor intrauit? Hæc porta iustitiæ,
 sicut ipse dixit: *Sine nos implere omnem iustitiam*. Hæc porta
 est beata Maria, de qua scriptum est, *quia Dominus per-
 transibit per eam, & erit clausa* post partum, quia virgo &
 concepit, & genuit. Quid autem incredibile, si contra
 vsum originis naturalis peperit Maria, & virgo perma-
 net, quando contra vsum naturæ, *mare vidit & fugit,
 atque in fontem suum Iordanis fluente remearunt?* Non er-
 go excedit fidem, quod virgo peperit, quando legimus,

Apoc. 21.
 Ifo. 43.
 Matt. 1.

Luc. 1.

Ibid.

Ifo. 7.

Ezec. 44.

Matt. 3.

Ezec. 44.

Psal. 113.

Ifo. 3.

Exod. 17.

Dent. 8.

Exod. 14.

Exod. 17.

Dent. 8.

4. Reg. 6.

Matt. 14.

quod & petra vomuit aquas, & in muri speciem maris vnda solidata est. Non excedit fidem, quod homo exiuit ex virgine, quando petra pro fonte flumen scaturiuit, ferum super aquas natauit, ambulauit homo super aquas. Ergo si hominem vnda portauit, non potuit hominem virgo generare? At quem hominem? De quo legimus,

Et mittet illis Dominus hominem, qui saluos faciet eos, & notus Isa. 19.

** al. virga erit Dominus Aegyptiis.* In veteri itaque testamento, * virgo Exod. 15.

Hebræorum per mare duxit exercitum. In nouo testamento, virgo regis aula cælestis electa est ad salutem.

Quid autem etiam viduitatis attexamus præconia, cum in euangelio, post virginis celeberrimum partum, Anna Luc. 2.

vidua subrogetur, *quæ vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua; & hæc vidua erat annorū 84. quæ non discedebat de templo, ieiuniis & obsecrationibus seruiens die ac nocte?* Merito ab illis viduitas despicitur, quæ solet obseruare ieiunia, quibus se dolent isti aliquo tempore esse maceratos, & propriam vlciscuntur iniuriam, quotidianisque conuiujs, vsuque luxuriæ, laborem abstinentiæ propulsare desiderant. Qui nihil rectius faciunt, quam quod ipsi se suo ore condemnant. Sed enim metuunt, ne in istis illud ieiunium reputetur. Eligant, quod volunt. Si aliquando ieiunauerunt, gerant ergo boni facti sui pœnitentiam. Si nunquam, suam ergo ipsi intemperantiam & luxuriam confiteantur. Et ideo dicunt, Paulum luxuriæ magistrum fuisse. At quis erit sobrietatis magister, si fuit ille luxuriæ, qui castigauit corpus suum, & in seruitutem redegit, atque ieiunijs multis se debitam Christo obseruantiam detulisse memorauit, non vt se suaque laudaret, sed vt nos 1. Cor. 9.

quid sequeremur, doceret? Ille ergo luxuriam docuit, qui ait: *Quid adhuc, velut viuentes, de hoc mundo decernitis?* Coloss. 2.

Ne tetigeritis, ne attaminaueritis, ne gustaueritis, quæ sunt omnia in corruptelam: qui ait, *non in indulgentia corporis, non in honore aliquo ad saturitatem & diligentiam carnis, non in desiderijs* 1. Id.

erroris, sed in spiritu, quo renouamur, esse viuendum. Si parum est quod Apostolus dixit, audiant prophetam dicentem:

Et cooperui in ieiunio animam meam. Ergo, qui non ieiunat, Psal. 68.

intectus & nudus est, & patet vulnere. Denique, si Adam se texisset ieiunio, non fuisset nudus effectus. Niniue se a morte ieiunio liberauit. Et ipse Dominus ait: *Non eiicitur* Gen. 3. Iona 3. Matth. 17. Marc. 9.

hoc genus, nisi per orationem & ieiunium. Sed quid plura apud magistrum atque doctorem? cum iam dignum præmium retulerint illi perfidiæ suæ, qui ideo huc venerunt, ne superesset locus, in quo non damnarentur, qui vere se Manichæos probauerunt, non credentes quia ex virgine vtiq; venisset. Quanam hæc est suppar nouorum Iudæorum amentia? Si venisse non creditur, nec carnem creditur suscepisse: ergo in phantasmate visus est, in phantasmate crucifixus est. Sed nobis in veritate crucifixus est, in veritate redemptor est noster. Manichæus est, qui abnegat veritatem, qui carnem Christi negat: & ideo non est illis remissio peccatorum, sed impietas Manichæorum, quam & clementissimus execratus est imperator, & omnes qui illos viderunt, quasi quædam contagia refugerunt; sicut testes sunt fratres & compresbyteri nostri, Crescens, Leopardus & Alexander, sancto feruentes spiritu, qui eos omnium execratione damnatos, Mediolanensi ex vrbe quasi profugos repulerunt. Itaque Iouinianum, Auxentium, Germinatorem, Felicem, Plotinum, Genialem, Martianum, Ianuarium & Ingeniosum, quos sanctitas tua damnauit, scias apud nos quoque secundum iudicium tuum esse damnatos. Incolumem te & florentissimum Deus noster tueatur omnipotens, domine dilectissime frater. Item subscriptio: Ego Euentius episcopus saluto sanctitatem tuam in Domino, & huic epistola subscripsi. Maximus episcopus, Felix episcopus, Bassianus episcopus, Theodulus episcopus. ex iussu domini episcopi Geminiani, ipso præsentem, Aper presbyter subscripsi. Eutafius episcopus, Constantius episcopus, Eustafius episcopus, * eo omnes ordine subscripserunt.

NOTÆ.

* *Recognouimus.*] Hæc epistola synodalis, a patribus Mediolanensis Concilii scripta. Cum enim per literas præcedentes a Siricio acceptas, Iouinianum sententia Pontificis condemnatum fuisse intellexissent, synodali iudicio desuper habito, in eandem sententiam descenderunt; & postea quid in synodo actum fuisset, per hanc synodicam, Pontificem certiore reddiderunt, eiusque in condemnandis hæreticis sollicitudinem laudarunt, & Iouiniani errores rationibus & testimoniis refutarunt.

Patres Mediolan. Concilii Si.

^b *Qui diligenter commissam tibi ianuam serues.*] Horum patrum testimonio constat, Petrum & Petri successorem Romanum pontifi-

cem, ianitores esse illius ostii, de quo Christus Ioannis c. 10. *Ego sum ostium; per me si quis introierit, saluabitur.* Et rursus: *Qui non intrat per ostium, sed ascendit aliunde, hic fur est & latro.* Legitime igitur ingrediuntur ecclesiam, quibus tantus ianitor aperuerit: legitime excluduntur, quibus idem fores occluserit.

ricium Ianitorem ecclesie vocant.

• EPISTOLA III.
SIRICII PAPÆ
AD VNIVERSOS ORTHODOXOS.

- I. *Vt indignus nullus efficiatur episcopus.*
II. *Vt ignotis sacerdotium non detur.*
III. *Vt neophyti vel laici, sacerdotes non fiant.*

Siricius papa, orthodoxis per diuersas prouincias.

I.

COGITANTIBVS nobis merum diuini iudicii, fratres carissimi, & post hanc vitam vnumquemque, prout gesserit, recepturum: quid in querelam veniat, tacere non licuit, sed nobis loqui necessitas imperauit, dicente propheta: *Exalta vt tuba vocem tuam.* Et cui omnium ecclesiarum cura est, si dissimulem, audiam, domino dicente: *Reiicite mandatum Dei, vt traditiones vestras statuatis.* Quid enim aliud est reiicere mandatum Dei, quam priuato iudicio & humano consilio nouis rebus constituendis liberius delectari? Perlatum itaque est ad conscientiam apostolicæ sedis, contra ecclesiasticum Canonem præsumi, & quæ ita sunt a maioribus ordinata, vt ne vel leui fufurro debeant violari, proprias quosdam obseruationes nouas inducere, & prætermisso fundamento, supra arenam vel le construere, dicente Domino: *Non transibis terminos, quos constituerunt patres tui.* Quod & sanctus quoque Apostolus, noui & veteris testamenti prædicator, monet, in quo locutus est Christus: *State, inquit, & tenete traditiones vestras, quas didicistis, siue per verbum, siue per epistolam.* Quare videt vestra sinceritas, in sacris ministeriis aut in ordinationibus vestris, quantum sacerdotum magna cura & diligens sollicitudo debeat obseruari. Denique ad Timotheum loquitur: *Manus cito nemini imposueris, neque commutaueris peccatis alienis.* Quod propterea memoratur, vt examine habito, & probitate morum & ecclesiastico la-

Isa. 58.

Matth. 23.
Marc. 7.

Dent. 19.
& ibid. 27.

Prou. 22.

2. Thess. 1.

1. Tim. 5.

bore sit commendatior, qui vocatur in medium, ut summum sacerdotium possit accipere, probatus iudicio, non favore: susceptus veritate, non gratia: apostolico ordine * functus, non precipiti voluntate. De quo, carissimi, mihi ante vestram sinceritatem huiusmodi literæ cucurrerunt, multo fratrum & confacerdotum consensu, ut hac vestra subscriptione firmata ecclesiastica Canonis dispositio, quæ apud Nicæam tractata * est, confirmata, suo merito fundatissima permaneret: ut tales videlicet ad ecclesiasticum ordinem permitterentur accedere, quales apostolica auctoritas iubet, non quales dico, vel eos, qui cingulo militiæ sæcularis adstricti, olim gloriati sunt. Qui posteaquam pompa sæculari exultauerunt, aut negotiis reipublicæ optauerunt militare, aut mundi curam tractare, adhibita sibi quorundam manu, & proximorum favore stipati, hi frequenter ingeruntur auribus meis, ut episcopi esse possint, qui per traditionem & euangelicam disciplinam esse non possunt. Quantis hoc aliquoties certatum est viribus? Sed nihil tale potuit elici, quæ ratio non compellit. Etiam de longinquo veniant ordinandi, ut digni possint & plebis & nostro iudicio comprobari.

I I.

* Quantum illicitum sit illud, æstimari non potest, ut transeuntes (sive simulent, sive sint monachi, quod se appellant, quorum nec vitam possumus scire, nec baptismum: quorum fidem incognitam habemus, nec probatam) nolint sumptibus adiuuare, sed statim aut diaconos facere, aut presbyteros ordinare festinent, aut quod est grauius, episcopos constituere non formident. Carius apud illos, dari sumptum transeunti, quam sacerdotium non retento. Inde in superbiam exaltantur, inde insuper ad perfidiam cito corruunt, quia fidem veram in ecclesiasticis toto orbe peregrini * discere non asseruntur.

I I I.

Certe illud etiam non fuit prætermittendum, ut quod semel aut secundo necessitas hæreticorum intulit, contra apostolica præcepta, velut lege licitum, * præsumi, neophytum vel laicum, qui nullo ecclesiastico functus fuerit officio, inconsiderate vel presbyterum vel diaconum ordinare: quasi meliores apostolis sint, quorum audeant mutare

1. Tim. 3.

rare præceptum: Et qui non didicit, iam docere compellitur. Ita nullus reperitur idoneus clericorum? Nec inter diaconos, nec inter alios clericos inuenitur, qui sacerdotio dignus habeatur, sed ad condemnationem ecclesiæ, laicus postulatur? Quod ne fiat ultra, admoneo. Prædico, vt vnã fidem habentes, vnum etiam in traditione sentire debeamus, probantes nos vnanimis atque concordēs * pacifici in Christo, & in obseruationibus apostolicis habere caritatem. Medio itaque Patre & vnigenito Filio eius & Spiritu sancto, & vnus diuinitatis trinitate, conuenio, vt in his fides catholica & disciplina nostra permaneat. Nec quisquam putet, tamquam ordinationes terrenas fieri, cum cæleste sit sacerdotium, vt fidelibus gloria maneat dignitatis eiusdem, & ante tribunal Christi ex hinc non habeat, quod accuset.

* for. pa-
cifici in
Christo,

EPISTOLA IV.
SIRICII PAPÆ.

Dilectissimis fratribus & coepiscopis per Africam, Siricius.

CVM in vnum plurimi fratres conuenissemus ad sancti apostoli Petri reliquias, per quem & apostolatus & episcopatus in Christo cœpit exordium, placuitque propter emergentes plurimas causas, quæ in aliquantis non erant causæ, sed crimina, vt de cetero sollicitudo esset vnicuique in ecclesia curam huiusmodi habere, sicuti apostolus prædicat Paulus, *talem Deo ecclesiam exhibendam, non habentem maculam aut rugam*, ne per alicuius morbidæ afflatum ouis, conscientia nostra contaminata videretur. hac de re, meliore consilio id fedit, propter eos maxime, qui in præsentī valetudine corporis, aut festæ ætatis causa, adesse minime potuerunt, quo perpetuo istiusmodi forma seruetur, literas tales dare placuit, non quæ noua præcepta aliqua imperent, sed quibus ea, quæ per ignauiam desidiamque aliquorum neglecta sunt, obseruari cupiamus; quæ tamen apostolica & patrum constitutione sunt constituta. Scriptum est: *Stete, & 2. Theff. 2. tenete traditiones nostras, siue per verbum, siue per epistolam.* Illud certe vestram debet mentem, dilectissimi fratres, vehementius * excutere, vt ab omni labe sæculi istius

Hæc est Synodalis Cœcilii Romani.

Ephes. 5.

2. Theff. 2.

* excita-
re,

Concil. Tom. 3.

Kkk

immunes securique ad Dei conspectum veniamus. * Nec enim erimus immunes, qui & præsumus plebibus, cum scriptum sit: *Cui multum creditum fuerit, plus ab eodem requiratur.* Ergo, quoniam non pro nobis tantum, sed pro populo credito cogimur præstare rationem, populum disciplinam deificam & humilem erudire debemus. Extiterunt enim nonnulli, qui statuta maiorum contemnentes, castitatem ecclesiæ præsumptione sua violarunt, voluptatem populi sequentes, Dei iudicium non timentes. Ergo, ne pari more silentio conuiuere, atque adhibere consensum talibus videamur, vnde gehennæ pœnas possumus incurrere, dicente Domino: *Furem videbas, & currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas:* hæc sunt, quæ deinceps, intuitu diuini iudicii, omnes catholicos episcopos expedit custodire.

Luc. 12.

Psalm. 49.

Dist. 64.
Extra con-
scient.Nicænæ
Synod. c. 4.

I. Vt extra conscientiam sedis apostolicæ, hoc est, primatis, nemo audeat ordinare. Integrum enim iudicium est, quod plurimorum sententia consequatur.

II. Ne vnus episcopus episcopum ordinare præsumat propter arrogantiam, ne furtiuum beneficium præstitum videatur. Hoc enim in Synodo Nicænâ constat esse definitum.

III. Item, si quis post remissionem peccatorum, cingulum militiæ sæcularis habuerit, ad clerum admitti non debet.

IV. Vt mulierem, id est, viduam, clericus non ducat vxorem.

V. Vt is, qui laicus viduam duxerit, non admittatur ad clerum.

VI. Vt de aliena ecclesia ordinare clericum nullus usurpet.

VII. Vt abiectum clericum alia ecclesia non admittat.

VIII. Vt venientes a Nouatianis vel Montensibus per manus impositionem suscipiantur, præter eos quos rebaptizant.

IX. Præterea, quod dignum & pudicum & honestum est, suademus vt sacerdotes & leuitæ cum vxoribus suis non coeant, quia in ministerio diuino quotidianis necessitatibus occupantur. Ad Corinthios namque sic Paulus scribit, dicens: *Abstinete vos, vt vacetis orationi.* Si ergo lai-

1. Cor. 7.

cis abſtinentia imperatur, vt poſſint deprecantes audiri: quanto magis ſacerdos vtique omni momento paratus eſſe debet, munditiæ puritate ſecurus, ne aut ſacrificium offerat, aut baptizare cogatur? Qui ſi contaminatus eſt carnali concupiſcentia, quid faciet? excuſabit? Quo pudore, qua mente uſurpabit? Qua conſcientia, quo merito hic exaudiri ſe credit, cum dictum ſit: *Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil mundum?* Qua de re, hortor, moneo, rogo, tollatur hoc opprobrium, quod poſteſt iure etiam gentilitas accuſare. * Forte creditur, quia ſcriptum eſt: *Vnius uxoris virum.* Non * permanenti in concupiſcentia generandi dixit, ſed propter continentiam futuram. Neque enim integros non admittit, qui ait: *Vellem autem omnes homines ſic eſſe, ſicuti & ego.* Et apertius declarat, dicens: *Qui autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. Vos autem iam non eſtis in carne, ſed in ſpiritu.*

Tit. 1.

1. Tim. 3.

Tit. 1.

1. Cor. 7.

Rom. 8.

Hæc itaque, fratres, ſi plena vigilancia fuerint ab omnibus obſeruata, ceſſabit ambitio, diſſenſio conquieſcet, hæreſes & ſchiſmata non emergent, locum non accipiet diabolus ſæuendi, manebit vnanimitas, iniquitas ſuperata calcabitur. Caritas ſpirituali feruore flagrabit: pax prædicata labiis, cum voluntate concordabit. Pax vtique Dei noſtri Saluatoris, quam proximus paſſioni ſeruandam eſſe præcepit, & hereditario eam nobis iure dereliquit, dicens: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis: & dictum Apoſtoli, vt vnanimis, vnum ſentientes, permaneamus in Chriſto; nihil per contentionem nobis, neque per inanem gloriam vindicantes; nec hominibus, ſed Deo noſtro Saluatori placentes.* His præceptis omnibus ſi fideliter voluerimus obedire, cuſtodiet Dominus corpora noſtra & animas noſtras in diem, *qua redditurus eſt unicuique iuxta opera ſua.* Si quis ſane inflatus mente carnis ſuæ, ab hac Canonis ratione voluerit euagari, ſciat ſe a noſtra communionis ſecluſum, & gehennæ pœnas habiturum. Præterea miſericordia cum iudicio eſſe debet. Talibus enim oportet labentibus manum porrigere, * qui ſic currentem non pertrahant in ruinam. Data Romæ in Concilio epiſcoporum octoginta, ſub die octaua Idus Ianuarii, poſt conſulatum Arcadii Auguſti & Bautonis, vir. clariffim. conſulum.

Idem legitur in epiſt. Innocent. pap. I. ad Victricium.

Ioh. 14.

Phil. 2.

Rom. 2.

Anno Domini 385.

Concil. Tom. 3.

K k k ij

* ſed forte licere hoc creditur, * permanentem

* ſor. qui ſecum

EPISTOLA MAXIMI

AD SIRICIVM PAPAM.

Siricius papa a Maximo catholicæ fidei confessionem literis postulauerat; quibus ipse respondet, se & catholicam fidem profiteri, & sibi esse propositum, vt orthodoxa fides illæsa & inuiolabilis perseueret. De Agricii etiam cuiusdam presbyteri ordinatione, & de Manichæorum sceleribus agit.

Victor Maximus perpetuus triumphator Augustus domino vere sancto apostolico viro Siricio salutem.

ACCEPIMVS literas sanctitatis tuæ, quæ nobis fuere Agratissimæ, quæque plane & nomini sacerdotis, & dignitati vrbis splendidissimæ conuenirent. Fidei vero catholicæ, de qua clementiam nostram consulere voluisti, quo maius circa me & speciale iudicium diuinitatis experior, hoc me confiteor curam habere maiorem, qui videlicet ad imperium ab ipso statim salutari fonte conscenderim, & cui in omnibus semper conatibus atque successibus Deus fautor affuerit, cuiusque hodie, & vt spero perpetuo protector & custos esse dignetur, pater carissime. Ceterum de Agricio, quem indebite ad presbyterii gradum conscendisse commemoras, quid religioni nostræ catholicæ possum præstare reuerentius, quam vt de hoc ipso, cuiuscemodi esse videatur, catholici iudicent sacerdotes? Quorum conuentum ex opportunitate omnium, vel qui intra Gallias, vel qui intra quinque provincias commorantur, in qua elegerint vrbe, constituam, vt iisdem residentibus & cognoscentibus, quid habeat consuetudo, quid legis sit, iudicetur. Hæc enim quæ libris sunt asserenda, & maiorum nostrorum religiosissimis constitutis, ipsi possunt melius astruere, qui norunt. Ceterum id nobis animi & voluntatis esse profiteamur, vt fides catholica, procul omni dissensione submota, concordantibus vniuersis sacerdotibus, & vnanimiter Deo feruentibus, illæsa & inuiolabilis perseueret. Nam noster aduentus ita inquinata aliqua, & sceleratorum labe polluta apprehendit & reperit, vt nisi nostra prouisio atque

Judicium
de presbyteris
ad sacerdotes
spectat.

Locus provincialis
Concilii ab
episcopis
eligendus.

medicina, quæ ex Dei summi timore veniebat, his opem celeriter attulisset, ingens profecto diuulsio atque perditio fuisset exorta, & vix sananda postea vitia concreuissent. Ceterum quid adhuc proxime proditum sit Manichæos sceleris admittere, non argumentis, neque suspicionibus dubiis vel incertis, sed ipsorum confessione inter iudicia prolatis, malo quod ex gestis ipsis tua sanctitas, quam ex nostro ore cognoscat: quia huiusmodi non modo factu turpia, verum etiam fœda dictu, proloqui sine rubore non possumus. *Manu imperatoris*: Diuinitas te feruet per multos annos.

EPISTOLA MAXIMI
AD VALENTINIANVM AVGVSTVM.

Valentinianus iunior Augustus, Iustina matre, quæ Ariana hæresi erat addicta, instigante, Mediolani sanctum Ambrosium, & ceteros catholicos acriter insectabatur: qua re cognita Maximus Valentinianum hortatur, ut paternam imitatus religionem, a vi ecclesiis & sacerdotibus inferenda abstineat.

S. Ambr.
in oratione
de basilicis
non traden-
dis, & in ep.
ad Marcellā
sororem li.
5. epist. 3.
Ruhn. lib.
2. cap. 16. &
Theod. lib.
5. cap. 14.
Ex veteri
lib. bibl.
Vaticana.

NISI clementiæ nostræ circa serenitatem tuam fides simplex esset, & gratia plena concordiæ, confido etiam, quod commoda rationibus meis esse possent hæc, quæ nunc agi dicuntur in partibus tranquillitatis tuæ, catholiciæ legis turbatio atque conuulsio. Quid enim tam optandum possit esse ei, si quis esset inimicus, quam aduersus ecclesias Dei, hoc est, aduersus Deum ipsum, & aliqua moliri, & ubi error excusabilis non est, ibi velle peccare? Sed quoniam serenitati nostræ & in Deum religio maior, quam violari etiam ab inimicissimo quoque non optabile nobis arbitramur, & circa serenissimā iuuentutem tuam tam arcta nostri cura, tam sedula est, ut recte facta magis nos sua, quam errata delectent: idcirco perennitatem tuam credidimus commonendam, ut introspecta ratione nominis summi, & maiestatis ipsius considerata potentia, quid agere debeas, solida mente perpendas. Audiui enim (nam fama non patitur occultari, præsertim quod agatur in populos) nouis clementiæ tuæ edictis ecclesiis catholi-

Ut religio
ne ab inimi-
cis quidem
violetur, o-
ptare debet
bonus prin-
ceps.

cis vim illatam fuisse, obsideri in basilicis sacerdotes, multam esse propositam, poenam capitis adiectam, & legem sanctissimam sub nomine nescio cuius legis eueri. Hoc quam graue sit, poteris intueri, si Dei magnitudinem uolueris cogitare. Erubescō, si quam crediderit serenitas tua astruere vellem rationē, & Dei agere causam. Quid enim hoc solum esset? Si enim iam per tot secula coalita & confirmata mutare, paruamne excitare discordiam uideretis? ipsis humanis legibus in hac mortalitate habet nostra reuerentiā consuetudo, & in re iam vetusta atque uisitata aliquid nouum fecisse, reprehensio est. Italia omnis atque Africa hoc sacramento credunt, hac fide gloriantur Gallia, Aquitania, omnis Hispania, Roma ipsa uenerabilis, cuius etiam in hac parte principatus est, quod Deum sicut sequi uoluit, agnouit. Confitebor ipse quod non sine dolore dictum est; solum dissentiebat Illyricum; utinam quod errasset, non extaret exemplum. Utinam illud in colume Arianæ legis Mursinense oppidum permaneret, & non ad iudicium quondam erroris miseri concidissent, quia ipsos erudisset auctores, ne præcipua irati numinis ultione procumberent: periculose, mihi crede, diuina tentantur. Venerabilis memoriæ D. Valentinianus pater clementiæ tuæ, hac fide fideliter imperauit. Nihil ille attingere uoluit, quod bene constitutum uidebat. Hi certe sub eodem episcopi iam fuerunt. Quæ tanta mutatio, ut qui antea sacerdotes, nunc sacrilegi iudicentur? Iisdem certe præceptis, iisdem sacramentis dicati, eadem fide credunt, qui ante crediderunt. An putat uenerabilis mihi serenitas tua conceptam semel in animis hominum religionem, quam Deus ipse constituit, posse conuelli? quanta ex hoc discordiæ excitabuntur? quanta contentiones oborientur? quam crebræ ac pestiferæ seditiones? quanta & quæ peruenientia ad Deum uota iustorum? cum inter Christianos (quod dictu nefas sit) quædam persecutionis imago nascatur. Videris in quam partem hanc sedulitatem nostram interpreteris: nullo certe maiori genere curam meam circa clementiā tuam probare tibi possem, quam si te horter, ut desinas. Puto enim recognoscēs, quod nemo hoc suaderet inimicus. Hæc amabiliter a nobis dicta esse opto ut intelligas, spero quod credas: unde æquum admodum est,

Nonitas in rebus religionis quæ sit detestanda. Romæ est principatus religionis.

ne sancto numini dicata conuellas. Italiam omnem, & venerabilem Romam, ceterasque prouincias suis ecclesiis, suis sacerdotibus reddas, neque te medium interferas, cum fas sit iustius eos, qui a catholica ecclesia Arianorum interpretatione discesserint, errorem suum vera religione mutare, quam recte sentientibus suam immittere prauitatem.

CONCILIVM BURDIGALENSE
ADVERSUS PRISCILLIANISTAS,
eorumque auctorem Priscillianum,

*Arcadio Augusto & Bautone consulibus congregatum,
anno Christi cccxxcv. Siricii papæ I.
Maximi imperatoris II.*

ANNO
CHRISTI
385.

DAMNATI iam antea fuerant Priscillianistæ a Synodo Cæsaraugustana, tum deinde Gratiani imperatoris rescripto relegati. Sed cum a Gratiano eodem rescriptum alterum elicuissent, quo restitui ecclesiis iubebantur, egit Ithacius præcipuus illorum infectator cum Maximo, qui tum cæso Gratiano Gallias obtinebat, ut de his iudicium instauraretur. quod factum est in hac Synodo Burdigalensi. Ad quam cum deducti fuissent inter ceteros Instantius & Priscillianus, Instantio episcopatus abrogatus est; Priscillianus vero, ut Synodi iudicium euaderet, ad principem prouocauit: cuius postmodum sententia capitis damnatus est. Quæ omnia fusius exequitur Sulpitius Seuerus libro II. sacræ historiæ. De Synodo autem nostra his verbis: *Quibus, inquit, permotus imperator, datis ad præfectum Galliarum, atque ad vicarium Hispaniarum literis, omnes omnino, quos labe illa inuoluerat, deduci ad Synodum Burdigalensem iubet. Ita deducti Instantius & Priscillianus. quorum Instantius prior iussus causam dicere, postquam se parum expurgabat, indignus esse episcopatu pronuntiatus est: Priscillianus vero, ne ab episcopis audiretur, ad principem prouocauit. Permissumque id nostrorum inconstantia: quia aut sententiam in refragantem ferre debuerant; aut si hi ipsi suspecti habebantur, aliis episcopis audientiam reseruare, non causam imperatori de tam manifestis criminibus*